DE FRACTURÂ CLAVICULÆ,

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ,

Quas, DEO JUVANTE, & Præside M. FRANCISCO-GUILLELMO LEVACHER, Artium & Chirurgiæ Magiſtro, Academiæ Conſiliario, nec non in Scholis Chirurgiæ Practicæ Profeſſore, *tueri conabitur* ANTONIUS GASCQ, *Agennonenſis, in almâ Univerſitate Pariſienſi Artium liberalium Magiſter.*

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Martis, trigeſimâ Decembris à ſeſqui-ſecundâ poſt meridiem ad ſeptimam. A. R. S. H. 1766.

PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREÂ.



Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii Typographi.

M. DCC. LXVI.



DE FRACTÂ CLAVICULÂ.

THESES ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



UAM in reponendis fractis ossibus, iisdemque in apto situ retinendis difficultatem plerùmque experiuntur Chirurgi, ea non semper ab ossium peculiari formâ, & magnitudine, musculorumve ambientium crassitie & actione oritur. Situs fractorum ossium deligationi minùs aptus impedimenta præbet quæ tollere vix potest ingeniosissima solertia. In exemplo sit Clavicula. Ubi à quâcumque vi externâ solvitur ossis illius continuitas, actione partium quibus perpetuò rigiditate quâ donatur contra nititur, extremitates fragmentorum suprà se invicem ascendunt & non nisi summâ cum difficultate huic incommodo mederi potest Chirurgus. Is est noster hodiè præcipuus scopus ut media quæ suppetit irrequieta melioris indagatrix Chirurgia exponamus perpendamusque, præmissis obiter quibusdam Anatomicis partis hujusce notionibus.

Clavicula est os oblongum duplicem curvaturam Litteræ ſ exhibens, in parte anteriori & ſuperiori Thoracis ſitum. In quo videre eſt duas extremitates, duas facies, totidemque latera. Extremitatum una anterior vel interna, altera poſterior vel externa : facies una ſuperior, inferior altera : unum latus anterius aut externum, alterum poſterius vel internum. Quæ imprimis Anatomicè conſideranda veniunt in Claviculâ relativè ad ſcopum propoſitum, ſunt ſtructura ejus & muſculi quorum inſertioni dat locum. Pars Claviculæ firmior & durior eſt ipſius pars media ; extremitates autem ferè admodùm ſpongioſæ ſunt : harum anterior majoris eſt voluminis poſteriori. Utraque terminatur in ſuperficiem lævigatam mobilitati neceſſariæ faventem. Oſſa quibus annectitur Clavicula ſunt *Sternum* anterius ; poſterius *Scapula*, mediante ipſius Apophyſi, *acromii* dicta. Muſculi Claviculæ inhærentes ſunt *Sterno-maſtoïdæus* & *Sterno-tiroïdæus* in extremitate anteriori, *Subclavicularis* in depreſſione oblongâ quæ ſe præbet in facie inferiori, magnus *Pectoralis* in dimidiâ parte anteriori ejus limbi externi, *Deltoïdes* in mediâ & poſteriori parte ejuſdem limbi, *Trapezius* per mediam & poſteriorem partem limbi interni. Ligamentis prætereà peculiaribus extremitatem utramque involventibus in ſitu naturali retinetur. Uſus Claviculæ ex conſideratâ figurâ ejus & ſitu, muſculiſque quibus inſertionem dat, facilè erui poteſt.

Licet externorum corporum impulſui parùm obvia videatur Clavicula, ſæpè ſæpiùs tamen evenit ut lapſu ictuve aliquo frangatur. Fractura autem illa fit vel in mediâ parte, vel in extremitatibus ; in uno tantùm loco, vel in pluribus ſimul ; læſis illæſive partibus ambientibus ; tranſverſè vel obliquè ; undè dicitur modò ſimplex, modò compoſita, modò complicata, tranſverſa, vel obliqua.

Signis plerùmque evidentibus dignoſcitur Claviculæ fractura. Niſi enim æger pinguedine ſit craſſior, ipſiſmet oculis cernitur deformitas, vel digitis ſentitur crepitatio : quin imò eminente oſſe quandòque perforatur cutis.

Hujusce morbi accidentia varia ſunt pro variâ fracturæ causâ, partiumque ſimul læſarum naturâ. Si corporis colli-

dentis aut collisi magna fuerit vis aut resistentia, fieri potest ut pulmones & ipsi afficiantur; hinc respiratio difficilior, tussis frequens & gravis, sputationes sanguineæ, Emphysema in totâ vulneris peripheriâ, non rarò longè ulteriùs extensum, &c. Si partes Claviculam tegentes violentiâ ictûs aut lapsûs admodùm contundantur atque conterantur, indè nascetur ingurgitatio, echymosis, inflammatio & omnes illius sequelæ, dolor, febris, suppuratio, &c. Si Clavicula denique in plura fragmenta dividatur, frustula illius extranea facta partes vicinas irritabunt, pungent, lacerabunt, & hæc alia erit inflammationis causa, suppurationis, abscessûs sive in textu cellulari infrà cutim, sive etiam in pectore, undè gravissima nasci solent symptomata.

Quod attinet ad causas quibus frangi potest Clavicula, evidens est os adeò breve, adeò solidum frangi non posse nisi violentiâ non levi. Inter quas frequentior lapsus in caput humeri.

Prognosis nihil ardui affert. Quidquid enim inest periculi in fracturâ Claviculæ non oritur ab ipsâmet fractâ Claviculâ, sed potiùs à vicinis partibus eâdem causâ graviter commotis, aut alio quolibet modo læsis.

Indicationes curativæ hujusce morbi eædem sunt ac cæterarum fracturarum. Partes scilicet in situm naturalem reponendæ retinendæque sunt. Repositio nihil difficultatis habet, & sponte quasi suâ fit, si humeri versùs posteriora, ut decet, attrahantur. Non eâdem verò facilitate partes in eo statu retinentur. Deligationi enim convolutæ quæ fit in membris, hìc locus non est. Cui supplere conati sunt Chirurgi, fasciâ quatuor ulnas longâ, quam ita devolvunt ut utrumque humerum alternatim amplectantur, & omnes circumvolutiones sese decussent posteriùs intrà duas scapulas. Undè à similitudine ista fasciatio *huit de Chiffre* nuncupata est. Verùm quantùmvis stricta instituatur illa deligatio, brevi circumvolutiones omnes laxæ fiunt: humero perpetuò anteriùs retracto, fragmenta Claviculæ non diù servant acceptum situm, hincque adeò frequens irregularis ossium glutinatio, deformisque callus. Quod incommodum ut vitaret D. Brasdor, specialem excogitavit thora-

cem manicatum, posterius scissum, lienteo satis firmo confectum, cujus ope humeri firmiter retinentur & perpetuò attrahuntur versùs posteriora: adeò ut unico & eodem medio fiant extensiones & contra extensiones: quia nempè limbi thoracis posteriores plùs minùsve ad se invicem approximantur ad nutum Chirurgi operantis, auxilio funiculi aut ligularum quæ annulis correspondentibus insiguntur: hincque fragmenta Claviculæ in sedem naturalem reposita facilè retinentur in eodem statu per totum curationis tempus.

Quòd si adsint complicationes quas superiùs exposuimus, in iis debellandis sese eodem modo gerere debet Chirurgus, quo se gereret in cæterarum partium fracturis.

FINIS.